

Eo ipso die auditori suo mandavit accedere ad alteram parochialem ecclesiam Sancti Rocchi loci Ziliae eamque visitare, prout ipse praestitit. Et facta visitatori apostolico diligenti relatione de illius ecclesiae statu, opportuna edidit decreta, in quibus laudavit diligentiam sacerdotis Iosephi Mariae Ferrandi oeconomi. Namque cum praepositus in invidiam incidisset nonnullorum illius loci cogebatur illinc abesse.

Familiae 95. Sacerdotes 7. Unus subdiaconus. Clerici 2. Animae 500. Anni redditus librae 800.